



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CCXXIX. De Fratre Bertholdo dicto Bruhane Commendatore de  
Kunnigsberg & Vita ejus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

*Burchardus de Schwenden IX. Mag. Gen. Ord. Teuton.  
Meneko de Querfurt XIII. Mag. Prov. Prussia.*

tradit, factum ordine narrat, crimenque deprecatur. Idem postea facit & uxor, veniâque impetratâ monasterium ingreditur. *Vid. Henneb. in Comment. ad Tab. Pruss. pag. 53.*

(c) Synchronismus ille de destructa Tripoli, non habetur in Jerofchino, qui videatur fol. 170.

(d) Wurungen habet Jerofchinus.

### CAP. CCXXVIII.

*De*

### *Ædificatione castrorum Raganitæ & Scalovvitarum.*

**A**Nno Domini MCCLXXXIX. idem frater Meneko capiens summo desiderio Christianorum fines & terræ Pruschia angustias dilatare, cum omni potentia pugnatorum venit in die B. Gregorii Martyris ad terram Scalovvitarum, & ad laudem DEI & gloriam in quodam monte supra Memelam ædificavit castrum Landeshute, quod sonat in Latino custodia terræ, sed nunc dicitur communiter Raganita à fluvio vicino, relinquens ibi pro defensione ipsius fratrem Bertholdum de Austria, dictum Brubane, commendatorem, cum XL. Fratribus, & centum armigeris præelectis. Non longè post ædificavit Scalovvitarum Castrum in descensu Memelæ, ut Scalovvita converfi ad fidem Christi ibidem habitarent.

### CAP. CCXXIX.

*De*

### *Fratre Bertholdo dicto Brubane Com- mendatore de Kunningsberg & Vita ejus.*

Hic



*Burchardus de Schwenden IX. Mag. Gen. Ord. Teuton.  
Meneko de Quersfurt XIII. Mag. Prov. in Prussia.*

**H**ic frater Bertholdus postquam dicto Castro Raganitæ præfuit modico tempore, fuit in commendatorem fratribus de Kunnigsberg ordinatus. De hujus viri vita, & virtutum refulgentia mira facta referuntur. Ipse enim cum se Domino inspirante vellet reddere Religioni, considerans illa duo scilicet, Paupertatem & Obedientiam, quæ ad Regularem observantiam requiruntur, esse communia in Religionibus & Extra; sed tertiam scilicet Castitatem quam una de arduis, quia nemo potest esse castus nisi Deus det, voluit examinare, utrum fuisset ad observantiam, castitatis aggressusque rem inusitatam & plenam periculo. Assumpsit enim Virginem Juvenem, quæ propter eminentiam pulchritudinis suæ parem non habuit in vicinis, jacensque cum ea quasi singulis noctibus in stratu suo nudus cum nuda per annum, & amplius, ut ipsa per Sacramentum suum postea affirmabat, & integritatis suæ signa ostendebat, nunquam ipsam carnaliter cognovit. Ecce mirares & stupenda, Samson fortissimus, David sanctissimus, Salomon sapientissimus, mulieris victi blanditiis ceciderunt: hic spontè consortium ejus amplectens, vicit; & in Virtutum culmine est erectus. Nunquid ergo fortior Samstone, sanctior Davide, sapientior Salomone? Si audeam dicere, salvâ pace ipsorum, utique in hoc casu.

CAP. CCXXX.

*De*

*Vastatione terræ Sambiensis.*

**E**odem anno in Autumno Rex Lethovvinorum cum octo millibus equitum intravit terram Sambiensem, & omnia adi-